



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Decreta Provinciae Mediolanensis Sv̄b B. Carolo Borromeo, Cardinale
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]
voluminibus edita

Speciano, Cesare

Brixiae, 1603

De Sortilegiis. Titvlvs I. Liber Quintus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10553

DE SORTILEGIIS

TITVLVS I.

Liber Quintus.

Magi, & malefici qualiter puniendi. Cap. I.



MAGOS & maleficos, qui se ligaturis, nodis, characteribus, verbis occultis mentes hominum perturbare, morbos inducere, uel expellere, corporum figuram, & constitutionem immutare, ventis, tempestati, aeri, ac mari incantationibus imperare posse sibi persuadent, aut alij pollicentur; ceterosq; omnes, qui quouis artis magicæ & veneficij genere pactiones, & fœdera expressè, uel tacitè cum demonibus faciunt; Episcopus acriter puniat, & e societate fidelium exterminet ac authores seuerè puniat.

Qualiter diuinationes coercedæ, & eijciendæ, & per huiusmodi ad aliquem recurrentes, ac participes puniendi.

Cap. I I.

DEinde omnem diuinationem ex aere, aqua, & terra, igne, ex inanimatis, ex unguium, & lineamentorum corporis inspectione, ex sortibus, somnijs, mortuis, alijsq; rebus, quibus per demonum significationem incerta pro certis affirmantur, futura prædicere, furtis, thesauros absconditos comonstrare se posse profitentur, & huius generis aliqua, per quæ curiosorum, & imperitorum hominum mentes facillè decipiuntur, coerceat & eijciat.

In eos etiam, qui huiusmodi diuinatores, sortilegos, coniectores, ariolos, & cuiusuis generis magos de aliquare consuluerint, uel, ut consuleretur cuique auctores, adiutores, hortatores uel fuerint, uel eis fidem habuerint, seuerè animaduertat.

Qui annulli prohibeantur. Cap. I I.

SI quis etiam annulos, uel aliud ad magicos, uel supersticiosos usus fecerit, aut uendiderit; graui pœna efficiantur.

Quæ

Quæ astronomica diuinationo, & auguria prohibentur & puniuntur.

Cap. I I I I.

Astrologi, qui ex Solis, Lunę, & alio astrorum, motu, figura, & aspectu, de hominum, actionibus, quę à libero uoluntatis arbitrio proficiuntur, certo aliquid euenturum affirmant ad prescriptum Bullę sanctissimi Domini nostri Sixti V. grauius pœnis plectantur, quæ pœnæ etiam ad eos pertineant, qui ad illos de huiusmodi rebus detulerint; deniq; pœnas sumat Episcopus de ijs omnibus qui in itineris susceptione, aut cuiusuis rei institutione, uel progressionem dies, tempora, & momenta obseruantes, quadrupedum uoces; animum garritum, aut uolatum notantes, ex occursum etiam hominum; uel pecudum, suscipiendi operis felicitatem augurantur.

Ed. No-
nis Ianu-
ar. 1585.
in Bull.
inter if-
tius sum-
mi Pont.
conf. nu.
21. fo. 52.

In nuptijs celebrãdis maleficia committentes, uel ea soluere impro-
bè nitentes, horumque participes qualiter excommu-
nicati. Cap. V.

Tridentina Oecumenica synodus illud Episcopali diligentię quàm dili-
gentissimè commendauit, ut si quæ uel hominum uitio, uel temporum
iniuria, corruptelæ in nuptijs celebrandis irrepserint, illæ radicitus extirpen-
tur. Atque eò quidem uehementius in eiusmodi curam incumbendum est,
quò grauius atque adeo sepius in illis peccatur. Quare ad nuptias, matrimo-
niãq; impedienda uel dirimenda eò cum uentum sit ut ueneficia, fascinatior-
ne uel homines adhibeant, atque neque adeo frequenter id sceleris commit-
tant, ut res plena impietatis, ac propterea grauius detestanda. Itaq; ut à tan-
to, tamq; nefario crimine, pœnæ grauitate deterreantur; excommunicationis
latæ sententiæ uinculo, fascinantes, & uenefici id generis irretiti sint. Quam
ipsam pœnam etiam illos subire decernimus, si qui in illis soluendis uerba im-
probata superstitiosa, atque adeo alia, quàm quæ Episcopo primùm probata
sunt, adhibuerint; cum id non sine diuini cultus offensione maximè faciant.

sess. 24.
de refor.
matr. ca.
10. in fi.

Quo etiam genere pœnæ afficiantur, quicumque uel suaserint, uel manda-
rint, uel consenserint.

DE MALEDICIS, ET Blasphemis. Tit. II.

Blasphemi in Deum, uel eius matrem, tam clerici quàm laici
qualiter puniendi. Cap. I.



QUICUNQUE Deo palàm seu publicè maledixerint contumelio-
sisq; aut obscœnis uerbis Dominum nostrum Iesum Christum,
uel gloriosam Virginem Mariam, eius Matrem expressè bla-
sphemauerint; si clericus sit, primùm fructibus unius anni bene-
ficiorum Ecclesiasticorum, quacunque habuerit mulcetur; si

iterum in eo peccarit, eo beneficio quod habet, priuetur, & si plura obtineat, eo priuetur, quo Ordinarius priuandum censuerit. Si tertio blasphemarit, dignitates ac beneficia omnia, quaecunque habuerit eò ipso amittat, ad eadē deinceps retinenda, aut obtinenda inhabilis sit. Si verò laicus fuerit; primo, aut etiam secundo, pecunia mulsetur, ex præscripta in Concilio Lateranensi ratione sub Leone X. Tertio grauem penitentiam publicè agat, eo modo, quod à sacris Canonibus præscriptum est.

Sess. 9.
subri de
Reform.
curia &
altorum,
vers. Ad
abolendam,
in
Tom. 5.
vid. sup.
de offi. p.
dicat. c. 8

Blasphemi in sanctos, ac in Deum & eius matrem, non tamen palam qualiter puniendi. Cap. II.

Qui verò sanctos blasphemarit, aut in Deum & gloriosam Virginem Matrem maledicta, non tamen palam aut publicè, contulerit, mitius aliquanto Iudicis arbitrio puniatur.

Quæ blasphemis pœnitentia Sacramentalis imponenda.
Cap. III.

In foro autem conscientia, ei qui blasphemus reus fuerit, grauem pro modo culpæ pœnitentiam Confessor imponat.

Qualiter blasphemantes obiurgandi & denunciandi, à dominis corripendi, & eijciendi. Magistratus pro quibus indulgentijs, pœnis propositis mouentur, & deterrentur, iurisdictioneque ordinarij reseruat.

Cap. IIII.

Qui blasphemantem audierit, si possit sine periculo, asperius obiurgat; omnino autem intra triduum eius nomen ad iudicem Ecclesiasticum vel sæcularem deferat. Si plures simul audierint singuli idem faciant; nisi inter eos conuenerit, ut vnus pro omnibus eo fungatur officio. Quod si Domini, mercatores, aut artifices, famulos aut ministros audierint blasphemantes semel monitos, si iterum in eo genere peccarint domo eijciant. Magistratus autem per Dei gloriam quæ blasphemiam maximè violatur, obsecramus ut hæc omnia diligentissimè seruari studeant, Uberrimam pie curæ à Deo mercedem expectantes, præter decem annorum indulgentiam, quam Leo X. in eodem Lateranensi Concilio, & ipsis & Iudicibus, & deferentibus largitus est.

Vbi sup.
c. 8. de of.
fi. Prædi.
hanc indul.
sepe publica-
ri iustum
est.
Bullaed.
Cal. Apr.
1566. in
Bull. in-
ter eius-
dē sum-
mi Pont.
cōl. nu. 5.
vers. Ad
abolendam.
fol. 926.

Quod si sæculares Iudices, quod minimè futurum speramus, blasphemie conuictos, iustis pœnis non affecerint; sciant ipsos pœnis, quas de sonibus sumere neglexerunt, ex eodem Concilio se teneri; nam qui manifesto facinorosi cum possit non desinit obuiare, de eodem ipse est reus; non intendimus tamen per hoc declarare quin ordinarius ex præscripto Bullæ Pij V. procedere non possit.

Sodalitas Dei nominis instituenda. Cap. V.

VT detestabile blasphemiae scelus, quam diligentissime fieri potest, tollatur; præter ea quæ in superioribus sancita sunt, id Episcopus studeat, ut in sua vrbe & diœcesi, hominum qui zelo religionis accensi sint, sodalitatem Dei nominis instituunt, præscriptis eidem sodalitati regulis, unâ cum indulgentijs in Bulla expressis, quam Pius III. eius rei causa confecit.

Bulla ed.
Idi. Apr.
1564. in-
ter eius
cõsti. nu.
101. in
Bull. fo.
804.

Libellos famosè edentes tam laici, quàm clerici, quam grauem pœnam subeant. Cap. VI.

Libellorum famosorum graue facinus, unde alia præterea peccata, & scœlera, & mala exoriuntur, ut quantum in nobis est, è diœcesi, & ciuitate nostra profligetur, statuimus, sancimusq; eos, quicumque sint, qui illos scripserint, ediderint, diuulgarint, excommunicationis latę sententię pœnam statim subire. Si Clericus verò sit, qui tale crimen admiserit, beneficiorum etiã, si quæ habet, amissione mulctetur, præter alias penas, eo de genere canonum legibus sancitas. A qua excommunicationis pœna nemo quisquam, huius criminis reus absolui possit, nisi fama, & honore, cui iniuriosè detractum est, restituito pro arbitrato Episcopi. Id verò ipsum quantò difficilius est præstari, tantò diligentius, studiosiusq; pro sua quisque conscientię religione ab eo flagitio, scelereq; cauere debet.

DE P O E N I S. Tit. III.

Pœnæ vbi applicandæ. Cap. I.



POenæ, & mulctę omnes, ac singulæ, cuiusuis generis sint, siue Clericorum, siue aliorum quorumcunque, etiam quas ex decretorum nostrorum sanctionibus irrogare contigerit, piorum locorum, operumve usui uerè atque omnino attribuantur, nulla prorsus parte reseruata, aut alij usui attributa, nisi ea modica, quæ aduocato fiscali attribuenda est.

Concil.
Trident.
Sess. 25.
c. 3. de re
for. verf.
In causis
verò.

In codicem reseruandum pœnæ referendæ, & quibusve attribuentur. Cap. II.

Rursusq; ut attributionis, solutionisq; certa, atque explorata ratio constet; Episcopus certum Codicem, in quem eę explicatę referantur, consici, in Archivio Episcopali asseruari diligenter mandet.

Nec verò Vicario, alijve Episcopalis fori Iudici excepto Fiscali, vllam omnino pœnarum, mulctarumq; partem consequi, habereq; vllò quouis colore liceat.

Multæ laicis irrogatæ qualiter distribuendæ. Cap. III.

Multas, quæ ob delicta Ecclesiastica, vel mixti fori, laicis à iudicibus Ecclesiasticis irrogabuntur ad modum diuidi volumus; Vt tertia parte pijs locis, aut operibus, eadem qua supra diximus conditione addicta, tertia ad Fiscum principum secularium pertineat, reliquæ accusatori detur.

DE COMMENTARIENSI, ET Custodia Reorum, & Carcere. Tit. IIII.

Taxa ab executoribus, carcerum custodibus, & ministris seruanda, nec indirectè violanda. Cap. I.



PRESERIBITA uel prescribenda taxa executoribus uel ministris, & carceris custodibus seruetur, ut ab ijs, qui capti, & in carcere inclusi sunt pro comprehensione, & carceris commoratione, & victu, id tantummodo exigatur, quod equitas & ciborum pretium postulet; si qui carceretenantur, sibi, quæ ad victum pertinent, ab alijs, quàm à custodibus, & ministris carceris suppeditari voluerint, id eis facere liceat; neque propterea asperius tractentur, aut in deteriora loca compellantur.

Incarceratorum bona qualiter in tuto reponenda.

Cap. I I.

Mandet præterea Vicarius Episcopi, ut quamcunque pecuniam, vestes, arma, aliasve res secum habeant ijs, qui in carcerem includuntur, tuto loco collocentur, & asseruentur; qui locus duabus claudatur clauibus, quarum altera apud ianitorem carceris sit, altera apud procuratorem deputanda est.

Incarceratorum bona qualiter non occupanda sed restituenda.

Item eorum visitatio fienda. Cap. III.

Ex illis autem rebus, quæcunque, & quotcunque sint, nihil vel ianitori, vel executori, vel cæteris ministris attingere liceat; sed eis, si inde exierint, vel eorum hæredibus, vel illis, quibus à iudice attributa fuerint integra, & intacte asseruentur.

Qui contra fecerit Episcopus per certos homines ab eo deligendos, semel in hebdomada visitandos eos, qui in carcere tenentur; qui si illos indignis & acerbis tractare compererint, referant ad Episcopum, vel Vicarium eius generalem, qui pro sua prudentia, ac pietate, nè quid iniquius fiat, omnino prouideat.

Defensor miserabilium personarum designandus.

Cap. IIII.

Designet Episcopus semper aliquos, qui miserabilium personarum causas gratis defendat.

Magnopere autem hortamur laicos magistratus, ut eiusmodi in re eadem ratione utantur.

Episcopus etiam qualiter incarceratos uisitet, & quæ salutaria illis curet. Cap. V.

Episcopus non solum per certos homines, ut primum à nobis constitutum est, sed etiam ipse aliquando in anno carcerem uisitet: in eoq; inclusos paterna charitate consoletur, pieq; in Domino adhortetur.

Videat item, ut eis ad corporis sustentationem, & ad iustum patrocini-um non desit quicquam; tum in primis non libri spiritualis lectio, non crebra & religiosorum hominum cohortationes, tum ne denique aliquid ad animæ salutem.

Curet etiam, ut qui in liberiori custodia sunt, præsertim si plures sunt, festis saltem, & Dominicis diebus Missæ sacrum audiant, aliquo, ubi fieri potest, ex adificato propè carcerem sacello, tum doctrinæ Christianæ rudimentis instituantur.

Idq; officium ipsi præsertim præstetur, qui in laicalis fori liberiori carcere sunt, qui multi esse solent.

Ut omnes in Pascha confessi, sacram Eucharistiam pie, & salutariter sumant. Quod ut die Natali Domini, & alijs anniuersarijs redemptionis nostræ solennitatibus, indictisq; publicè Iubileis, ac Indulgentijs, faciant, eosdem cohortetur.

Qui etiam incarceratorum protector deligendus sit, & quæ præstabit. Cap. VI.

SIT etiam fori Episcopalis carceris protector vnus è canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vel alius Ecclesiastici ordinis uir, cuius officium erit exquirere diligenter, ac simul curare, ut aduocatus, procurator uel pauperum, satellites, & custodes carceris muneri suo nè in aliqua re desint, ne uel quicquam committant, quod ipsi, qui in custodia sunt, fraudi, damno uel esse possit.

Inuestiget præterea sollicito, diligentiq; studio, quæ illorum cura adhibeatur, cum in primis ad animæ salutem, tum etiam ad corporis sustentationem; & quæ uerò de toto eo genere iam causa sunt, an præstentur quam reuerentissimè: & quid denique officij erga ipsos singuli ipsi præstent, quibus commissum est.

Causas

Causas definiri detentorum qualiter procuret, & eos visitet.

Cap. V I I.

Causa item eorundem, & quàm celerrimè fieri potest, rectè cum equitatisq; ratione congruenter definiantur, etiam atq; etiam studiosè videat, ac procuret.

Singulis hebdomadis sepè, uel minimum bis unumquemq; , qui in carcere est, inuisat. At si qui sunt, qui arctiori, secretiorive custodia inclusi tenentur, eos item visitatum eat: sed hoc omne officium, Vicario consentiente, eodemq; presente, aut procuratore Fisci Episcopalis, aliove, quem idem Vicarius maluerit; si ita magis expedire censuerit, ipse præstet, nec uerò alias.

A custodibus carcerum, quæ percunctetur, & alia incarcerationis præstabit. Cap. V I I I.

Carceris item custodes sæpius per hebdomadam adhibeat, quibus curat, quæcunq; non solum ad mores corrigendos, sed ad uitam sustentandam, necessitatesq; subleuandas eorum pertinent, qui in uinculis custodiæ sunt; Ac proinde libenter, benigneq; audiat, quæ quotidie sibi eode genere ab illis exponentur: & quibus opus esse uiderit, ut consulatur, ac prouideatur; in ijs omnis curæ, sollicitudinisq; partes, ut oportebit, quàm diligentissimè præstet.

Deprauatis incarcerationum moribus qualiter occurrat.

Cap. I X.

Si porro, uel uniuersos, uel singulos, qui in carcere sunt, ita se malè gere re perspexerit, ut correctione, monitione uel opus habeant ad morum disciplinam, eos prout opportunitas tulerit, & monere, & hortari, & obiurgare, & corripere ne desistat. Si uerò alios muneris suo deesse, aut in eo peccare animaduertit, cum illos sui officij, atq; adeo errati moneat in primis; tum si opus erit, ob eam causam Episcopum, aut Vicarium generalem adeat, cuius autoritate malorum pertinaciæ occurratur.

DE IURE FISCII. Tit. V.

Fiscales, qualiter crimina inquirent, calumnias repellant, innocentiam tueantur, & extorfiones reprimant. Cap. I.

Fiscum curam, atque adeo cogitationem procurator, advocatus uel Fisci Episcopalis suscipiat, ut sibi putet procuratoris munus commissum esse in inquirenda ueritate criminis de quo agitur; ideo ne eo unquam abutatur ad innocentes opprimendos, ne uel item causam, aut occasionem præbeat ut calumnijs quis uexetur, atq; exagitetur.

Ne

Ne ullam criminis causam suscipiat, procuretve, quam calumniosam esse nouerit; sed cum calumnia, uel rei delati innocentia constiterit, statim ab ea causa desistat.

Enigilet item unâ cum Vicario, ac sine eo etiam, ut collateralis, & satellites, ne quicquam, uel minimum extorqueant.

Circa curiæ, & Sanctæ Inquisitionis informationes, qualiter se gerant. Indicemq; relictorum ad pias causas habeant.

Cap. I I.

Testes pro informatione curiæ, & sancti Officij Inquisitionis aduocatus Fisci per se etiam Vicario non presente, aut de illius tamen mandato excipiat licet. Ijs præterea, quæ de testibus, etiam ad defensionem causæ adhibitis, instituentur, questionibus adesse possit: nec uetitum sit, quin, & iudici, questiones; interrogataue, quæ ad causam pertinent, in mentem reuocet, atq; adeo suggerat; testes etiam ipsos, si modò iudici placuerit, interroget; immo uerò reos item, at ipso tamen iudice presente.

Denuntiationum quoque, quæ de rebus piè legatis, relictisue, in dies singulos fient, indicem à Cancellario apud se habeat.

DE P O E N I T E N T I I S, E T
remissionibus. Tit. VI.

Qui paschatis tempore sacram Communionem non sumpserint qualiter denunciandi. Cap. I.



*N*emo Pasche tempore sumptionem ulla de causa differat. Qui præstituto tempore non communicarint, eorum nomina parochus ad Episcopum, ad sex dies post octauam Paschæ, scripto deferat; expositis etiam causis, quas extra confessionem cognouerit; alioqui pœnas det Episcopi arbitrati.

Contra prædictos qualiter agatur, & eorum fraudibus occurratur. Cap. II.

In eos uerò omnes Episcopus censuris, & alijs pœnis acriter animaduertat; ijs exceptis, qui eiusdem Parochi consilio iusta de causa sumptionem in aliud tempus produxerint.

Huic decreto ne fraus fieri possit; statuimus, ut si quis ex necessitate, uel alia iusta causa ab Episcopo, uel proprio Parocho comprobanda, extra parochiam suam dicto tempore Eucharistiam sumpserit; parocho suo de eo fidem faciat, sin minus, in eum agatur, ac si non communicasset.

Quales

Quales publici facinorosi, ac recidiui, ad communionem denuò non admittantur. Cap. III.

Publici concubinarij, fœneratores, ac blasphemi, & alij eiusmodi facinorosi homines semel ad pœnitentiam, & communionem admissi, si postea eos in eodem luto peccatorum hærere cognitum fuerit, amplius ad sacram Communionem ne recipiantur; nisi postea eos vitam, & mores ipsa emendasse, parochi perpexerint.

Eucharistia quando maribus seorsum ministranda.

Cap. IIII.

Eucharistiæ Sacramentum, ubi pro Ecclesiarum amplitudine commodè fieri poterit, maribus seorsum à fœminis ministratur.

Sumentes quales se habeant. Cap. V.

Qui sumunt, ut ad Deum tali tempore accedentes decet, demisso habitu, & humili vestitu, pœnitentiam, & animi submissionem præ se ferant.

Quibus sumentibus quædam monitiones fiendæ. Cap. VI.

Sacerdos Sanctissimam Eucharistiam ijs, qui rarò sumunt, non prius ministrat, quàm eos diligentius admonuerit, quanta reuerentia, & humilitate ad tremendum illud Sacramentum accedere debeant; quantum illis supplicia sint parata, qui indignè suscipiunt.

Primò sumentibus, quæ parochus antea præstabit.

Cap. VII.

Adolescentibus, qui tunc primùm Eucharistiam sumere voluerint, parochus non præbeat; nisi eos ante aliquot dies examinarit; & de vi, & ratione Sacramenti diligenter instruxerit.

Purificatio in Sacro Calice populo, ne præbeat.

Cap. VIIII.

POPULO, postquam Eucharistiam sumpserit, Vinum Calice Consecrato, vel alio vase, quod ad Sacri Calicis formam factum sit, ne præbeat.

Semel in anno confitendum. Cap. IX.

Innocentij III. Constitutionem in generali Concilio editam, qua sum-
citum est, ut fideles saltem semel in anno peccata sua confiteantur, in-
violatè omnes seruent.

C. ois
vtriusq;
sex. co.
tit. in De
cre. Cœc.
Later.
sub In-
no. III.
c. 21. cõ-
cil. Trid.
sess. 13.
can. 9. &
sess. 14.
cano. 8.

Vt ægroti confiteantur, medici aduenientes quid agant.

Cap. X.

Salutarem eiusdem Innocentij constitutionem, eo item concilio latam, nos ad Usum reuocantes precipimus, ut medici ad ægros in lecto iacentes adducti, antequam illorum curam suscipiant, eos planè moneant, vt idoneo Confessori de eorum peccatis confiteantur; seruatâ etiam constitutione Pij V. quam inuiolabiliter medici obseruent.

C. cū in firmitas. eod. tit.

Vid. inf. eo. c. 21. & c. 28.

Ægroti parochio notificandi. Cap. XI.

Parochum etiam curabunt certiore fieri de eo, qui in eius Parochia morbo affectus teneatur; qui pro sui officij munere, statim ægrotum conuenire, & cum eo agere debet, vt per hoc Sacramentum Deo reconcilietur.

Bulla edita sub die 8. Martij. 1566. inter illius constit. nu. 3. in Bullar. fol. 923.

De quibus ægroti admonendi. Cap. XII.

Hortamur denique omnes, quos aliqua de ægrotis cura attingat, vt nullam occasionem omittant inculcandi eis, quæ ad animæ salutem pertineant.

Qui Confessiones non audiant. Et vt approbentur quales esse debeant. Cap. XIII.

Qui Parochialem Ecclesiam non obtinent, etiam si regulares fuerint, confessiones ne audiant, quemadmodum statuit Tridentina Synodus: nisi Episcopi scripto approbati fuerint; qui contrafecerit excommunicationis pœnam subeat. Ijs probandis hanc rationem habeat Episcopus, vt pij bene morati, docti, prudentes, patientes de animarum salute solliciti, & fideles custodes sint eorum, quæ in confessione dicuntur; prouecta etiam a te, præsertim illi, quibus confessiones mulierum erunt audiendæ.

Conci. Trid. sess. 23. c. 15. de refor. Id quod ex rēdit ad oēs cuiusuis ordinis regulares per cōst. Pij V. Idibus. August. 1571. inter eius Bullas nu. 135. in Bull. fo. 1131.

Tabella nominum confessorum vbi tenenda. Cap. XIII.

In foribus sacristiæ illius Ecclesiæ, vbi confessiones audiri, & confessores plures esse solent, affigatur tabella, in qua nomina, & cognomina confessorum eiusdem Ecclesiæ approbatorum descripta sint.

Vid. inf. eo. c. 40. vbi declaratur, principio factio incurri.

Clericos ediscere casus conscientie Episcopus iubeat. Reseruos confessarij qualiter apud se habeant. Cap. XV.

Iubeat Episcopus clericos frequenter audire magistros, qui casus conscientie in monasterijs, uel ubiuis, eius iussu interpretentur. Confessores omnes casus, summo Pontifici, & Episcopo quauis ratione reseruos, scriptos apud se habeant, ne quid per incuriam sibi facultatis assumant.

Idem infra eo. c. 40.

Qualiter,

Qualiter, & quando mulieres audire licet: Nullumq; in priuatis ædibus. Populufve, pro confefsionibus moneatur, & parochus ab eo non difcedat. Cap. XVI.

Sacerdos, nisi ex causa necessaria, mulieres ante solis ortum, vel post eius occasum, confitentes ne audiat.

Neuè in Cellis, sed publicè in Ecclesia, in sedibus, in quibus tabella omnino inter confitentem, & confessorem interiecta sit. Huiusmodi autem sedes in Ecclesijs ab ijs ad quos pertinet, constituentur.

Vide infra c. 57.

Nec sine causa in priuatis ædibus cuiusquam maris, vel fœmina confessionem audiat.

Parochi sæpè cohortentur, & moneant fideles, nè confessionem, quæ Pascha tempore fieri debet, vsque ad sanctam hebdomadam differant.

Caueant Curati, nè ijs temporibus, quibus confessiones frequentiores esse solent, præcipuè per octo dies ante Natalem Domini, & à Dominica Passionis, vsque ad Resurrectionis Octauam, etiam aliò ad funera, & alia sacra officia Vocati, illud audiendæ confessionis munus in sua Ecclesia, sine causa necessaria prætermittant, aut vllò modo differant.

Pœnitens qualiter accedere, peccata sua pronunciare, & à Confessore adiuuari debeat. Cap. XVII.

Ad Sacramentum pœnitentiæ, quo à peccatis liberamur, nemo sine debita præparatione accedat, vt in spiritu humilitatis, & amaritudine animæ suæ, non expectata confessoris interrogatione, ipse peccata sua confiteri possit, cuius tamen diligentia adiuuandus erit ubi aliqua in parte deficere uidebitur.

Qui nisi prius intercedente debita satisfactione non absoluenti. Cap. XVIII.

Cauent Confessores nè ante debitam satisfactionem illos absoluant, quibus, cum facultas ad sit aliena restituendi, vel legata, quæ ad pias causas facta sunt persoluenti, illisq; ut id facerent superiori confessione præceptum sit, præstare tamen neglexerunt: exceptis ijs, qui periculosè ægrotant, quos tamen moneant, vt quod debent quamprimum persoluant, vel in ultima dispositione persolui mandent.

Et quia interdum in falsi testis manu est, ut non solùm facultatibus homines, sed etiam existimatione, ac vitæ spolientur; idcirco neminem absoluant, qui falsum testimonium in iudicio, alterius detrimento dixerit; nisi prius dato damno, quatenus id sarciri poterit, & violatæ illius existimationi satisfecerit.

Ne illum quidem absoluant, qui post publicum Episcopi monitum de indicandis rebus amissis, quid de ijs sciat, non indicarit; nisi hoc officium ante perfoluerit.

Iidem omni adhibita diligentia, conscientiam examinent singulorum, qui fenerantur, & qui iniquos contractus exercent; neque quemquam in his casibus absoluant; nisi debita restitutio, aut satisfactio ex Canonum præscripto prius intercedat.

Casus Episcopo referuati, à quibus sine licentia absoluere non licet.

Confessores, qui id sciant, moneant, & qualiter pœnitentiam iniungant. Cap. XIX.

AD eorum etiam criminum, quæ infra ordine adscribuntur, licentiam rescandam, prohibemus, ne confessores quemquam ullis ijs criminibus alligatum, absoluant, nisi facultas eis à nobis permessa sit.

Raptores Virginum.

Qui moniales violarint.

Qui secundo, vel propinquiori cognationis gradu incestum admiserint.

Incendarios, & qui damni, iniuriæve causa vites, vel arbores alienas inciderint.

Ecclesiam polluentes.

Homicidas voluntarios.

Qui parentes percusserint.

Qui locis pijs infantes exposuerint, cum habeant unde ipsos alant, neque eorum locorum damnum resarcierint.

Notarios qui legata, ad pias causas facta non denunciarint.

Qui ad magicas artes, veneficia, superstitiones, & alia huius generis, Eucharistia, sacrifve rebus abutuntur.

Qui stateras, mensuras, monetæve, adulterarint, corruperintve.

Confessores Canones pœnitentiales benè noverint; & de pœnitentia, quam cuiq; peccato, præsertim graui præscripserunt, confitentes admoneant; vt tantò diligentius à peccatis cauere studeant, quantò in pœnitentijs Canonum mitigandis benigniorem in se Ecclesiam experiuntur.

Iidem autem quemadmodum à Sancta Tridentina Synodo iussum est, publice peccantibus publicam pœnitentiam imponant.

Contra non summentes Eucharistiam paschæ tempore qualiter procedendum. Cap. XX.

Qui Paschæ tempore Eucharistia Sacramentum nõ sumpserint, si postquã ter, aut vnica monitione, quæ una pro tribus satis sit, etiã generatim moniti, in cõtumacia perseuerauerint; iubeat Ep̃s eos ipsos Ecclesiæ ingressu, et Ecclesiastica sepultura interdictos, in propria Parochiali Ecclesia denũciari; tũ eorũ nomina descripta ad Cathedralis, & Parochialis Ecclesiæ valuas affigi: si verò in cõtumacia perseuerauerint, in eos p̃terea, p̃ut iuris est, animaduertat.

Vt san-

Vt sanctio in visitantes aegrotos obseruetur, eosq; confessos esse medicis exploratum sit, Episcopus qualiter curet.

Cap. X X I.

Vide supra eod. c. 10.

QUOD Pius Quintus, propositis excommunicationis, alijsq; penis iussit, medicos ab aegrotantis curatione, post triduum abstinere, nisi eo tridui spatio, de peccatis suis confessus ille sit; id Episcopus curet, quam diligentissime obseruari. Rationemq; praeterea aliquam statuatur, qua medicis ipsis facilius exploratum esse possit, aegrum peccata sua vere confessum esse.

Sexta feria qualiter campana pulsanda, orandumq; sit, quare propterea indulgentia concedatur. Cap. X X I I.

Sexta quaque feria, in singulas hebdomadas, paulo ante horam nonam, signum in vnaquaque Ecclesia, campana sono detur, quo fideles admoniti eadem hora Iesu Christi Domini passionem, omni intima mentis pietate recolant; terq; orationem Dominicam, & salutationem Angelicam ex animo pronunciantes, quadraginta dierum indulgentiam, quam in sua quisque Episcopus diœcesi concedat, consequantur.

Clerici quomodo confessionem, & communionem frequentare, ac de hoc Episcopo fidem exhibere debeant.

Cap. X X I I I.

Vid. sup. de vit. & honest. Cleric. c. 3.

Diaconi, Subdiaconi, & reliqui Clerici inferioris ordinis confessionem, & communionem frequentent, ut superius prescriptum eis est. Confiteantur, aut ijs tantum Sacerdotibus, quos ad audiendas eorum confessiones idoneos Episcopus, & in vrbe, & diœcesi comprobabit; dummodo talis sit numerus eiusmodi Sacerdotum, ut confiteri volentes delectum habeant inter illos, Sacra verò Eucharistiæ communionem, diebus festis percipient, idq; in missa solenni, si modò eo loco eoq; die celebrabitur.

Illius autem rei fidem, tertio quoq; mense Episcopo exhibebunt.

Parochi, concionatoresve, ad frequentem Eucharistiæ perceptionem qualiter cohortabunt, & quicumq; diuersum assensum punietur. Cap. X X I I I I.

a Vide supr. de custod. Eucharistiæ. c. 18. vbi annor.
b Vid. c. Peracta. c. quoti die cum seq. de consecr. dist. 2.

AD saluberrimum illum Sacra Eucharistiæ frequenter sumenda sum parochi, ^a vt primo Prouinciali Concilio iussum est, & concionatores item, quam sapissimè populum cohortentur, nascentis Ecclesiæ institutis atq; exemplis, ^b & grauissimorum Patrum vocibus, & uberrima hoc

ipso de

ipso de genere Catechismi Romani doctrina, ^a & sententia denique; Tridentina Synodi, ^b quæ optaret quidem fideles in singulis missis, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistia perceptione communicare.

Quod si quis concionator, etiam regularis, aliquid contra directè, indirectève dixerit, aut concionatus sit; Episcopus, in cuius urbe, diœcesi ve hoc ille admiserit, ei, tanquam scandalum disseminanti, Tridentina eiusdem Synodi autoritate, ^c interdicat prædicationem verbi Dei. Ad cuius prædicationis munus ne idem restituatur, nisi primùm eiusdem Episcopi iudicio satisfecerit eo ipso loco, ubi ea in re scandalum, & offensionem præbuerit.

Itidem pro ratione culpæ corripiantur, corrigantur ve, & satisfacere quoque compellantur, quicumq; vel sermonem habendo, vel colloquendo hoc in genere offenderint.

Parochus quando proprijs manibus communicet. Absentes paschali tempore, qualiter Eucharistiam sumpsisse testatum faciant, vel aliàs puniendi communicent. Cap. XXV.

Parochus ijs omnibus, qui intra Ecclesiæ suæ fines habitant, in Paschali Sacram Eucharistiam ipse, non Sacerdos alius præbeat; nisi ob frequentem multitudinem, necesse sit alterum etiam Sacerdotem adhibere.

Quicumq; in pascha ab diœcesi absuerit, is reuersus, se eo tempore Sacram Communionem sumpsisse, testatum faciat scripto Sacerdotis, à quo sumpsit; quod testimonij scriptum manu, vel sigillo ordinarij, aut eius, cui id cura ille dederit munitum sit: alioquin, vt Ecclesiæ præcepto pareat, confessus in propria parochiali Ecclesiâ Sacram Eucharistiam suscipiat. Quod nisi fecerit, prout iuris est pœna afficiatur.

Quibus extra diœcesim paschali tempore ex proposito confitentibus, Eucharistia denegetur. Hocque decretum qualiter promulgandum. Cap. XXVI.

QVI ad confessarium, etiam regularem, in aliena diœcesi commorantem, dedita opera contra decretum vltimi Lateranensis Concilij se conferens, ^d peccata sua sit confessus, nisi confessarius ille, à nobis, vel Vicario nostro ad confessiones audiendas probatus erit, ei tanquam inconfesso, Parochus Eucharistia Sacramentum ne præbeat.

Quod decretum Quadragesimæ initio à Parocho promulgetur, quibus locis Episcopo videbitur.

Confessores nõ nisi nominatim expressa qualiter autoritate vtantur, satisfactiones pecuniarias non recipiant, nec distribuant, sed assignent. Regularesq; in casibus seruatis non absoluant. Cap. XXVII.

Ne confessarij Sacerdotes, cū sibi facultate, vel ex iubileo, vel ex alijs Apostolicis literis concessa, pœnitentium confessiones audire, ostentant.

a Catechif. de Sacram. Euchar. par. 2. c. 4. nu. 67. de sumpcione Euch. ver. Neq; tamē, & verif. seq. Ac tēpus b Conc. Trident. Sess. 22. c. 6. de sacrificio missæ. c Conc. Trident. Sess. 5. c. de resor. 2. §. si verò.

d c. Ois vtriusq;. §. si quis ext. eo c. si Episcopus. cod. 1. 6. Cōc. Trident. Sess. 14. c. 7. in decret. de casu referu.

a Ad hoc
vide in-
struct.
Placen. i
fine ope-
ris, vbi
agitur de
caſibus
Episco-
palibus
verſ. Nec
obſtant
hodie a-
liqua pri-
uilegia.
b Per li-
teras Il-
luſtr. Ar-
chi. Me-
diolani
ſub die
10. De-
cembris.
1572.
Scriptas,
in fine li-
bri de-
ſcriben.

à peccatis etiam grauioribus, quæ admiferunt, & à penis item, ac cenſuris, quibus irretiti ſunt, abſoluere licet, cum eo, qui in irregularitatem incurrit, diſpensent, niſi eius rei facultate illis literis nominatim expreſſa.

¶ Si pœnitentibus pœnitentia præſcribenda eſt aliqua pecuniæ ratione, ne ſibi Sacerdotes conſiſarij eam pecuniam, ſed locis pijs attribui curent, vt in officia, operaq; pietatis erogetur; Neque verò huius pecuniæ diſtribuendæ curam ipſe, ullo planè modo, ſuſcipiant.

¶ Neque præterea ſibi dari curent, ſi quid eleemoſynæ cauſa pœnitenti erogandum eſt in Miſſæ ſacris faciendis.

¶ Ne conſeſſarij regulares eorum peccatorum, quorum abſolutio Episcopo reſeruata eſt, a vinculis irretitos pœnitentes abſoluant, quemadmodum à Sancta Sede Apoſtolica declaratum eſt, id eis non licere, b quauis priuilegiorum ſuorum autoritate.

Publicam, ac ſolemennem pœnitentiam debentes quando, & qualiter agant. Quæ ſanctio de medicis promulganda. Interdicti quia non conſeſſi, & communicati, quomodo, & non aliter abſoluendi, & abſoluti denunciandi.

Cap. XXVIII.

Seſſ. 24.
c. 8. de re-
for. Pec-
cantē co-
rā oibus
argue, vt
ceteri ti-
morē ha-
beant. D.
P. r. Tim.
c. 5. c. ſed
illud 45.
diſt. c. ſi
peccaue-
rit verſ.
ergo cor-
tipiēda.
2. q. 1.
Vid. infr.
eo. c. 60.
Vid. ſup.
eo. c. 10.
& c. 21.

Studeat Episcopus ad Sacrorum Canonum, & Tridentini Concilij præſcriptum, pro publicorum delictorum grauitatis ratione, & publicam, & ſolemennem pœnitentiam in vſum reuocare. Quos verò ita ſolemni-ter pœnitere oportet, mense ante quadrageſimæ initium ad ſe per Parochos deferri curet; vt primùm ineunte Quadrageſima, illi pœnitentia affici, tum die Cœnæ Domini, Eccleſiæ reconciliari poſſint, ſtato ſolemni ritu.

Grauiſſima illa à Pio Quinto de medicis edita conſtitutio, quotannis ſemel ſaltem, de more promulgetur, ſi id opus eſſe Episcopus cenſuerit.

Si quibus Eccleſiæ ingreſſus, Chriſtianaq; ſepultura publicè interdicti eſſent, quoniam nō conſeſſi, vt eſt Sanctæ Matris Eccleſiæ præceptum, ſacro Paſchæ tempore corpus Domini non ſumpſerint; eorum interdicti vinculum non relaxetur, niſi primùm cauerint, ſe tempore, eis à Parocho præſcribendo, & de peccatis conſeſſuros, & ſacram Euchariftiam ſumpturos eſſe, & in poſte- rum Sanctæ Eccleſiæ præceptis, & huic præcipuè obediētes fore, quod eſt de conſeſſione, & de communionē paſchæ tempore ſumenda. Parochus de- inde populo ſignificet illos ipſos, quos iam interdicti vinculo irretitos denun- ciarat, eodem ſolutos eſſe.

Qui die Cœnæ Domini in Miſſa ſolemni Euchariftiam ſumant.

Cap. XXIX.

Feria Quinta in Cœna Domini, ſinguli, qui in Cathedrali, collegiata, vel Eccleſia, vel dignitatem, vel Canonicatum obtinent, etiam qui ſacer- dotalis ordinis ſunt, & reliqui item ſinguli eiſdem Eccleſiæ clerici

Corpus

Corpus Domini in solenni missæ sacro, quoa illo die, in ea Ecclesia fiet, sumant. Idq̄, nisi ex ijs aliqui sint, qui eo ipso die debitum missæ sacrificiendi munus alio loco præstituri sint.

Quando, & qualiter antiphonæ Virginis Mariæ canendæ. Dies anniuersarius consecrationis Episcopi celebrandus, & suæ promotionis ab eodem Sacerdote agendus.

Cap. X X X.

Religiosis Christianæ pietatis institutis, in usum introductis, cum ad sanctè agendi studium, adiutrice in primis Dei gratia, progressio maior in dies esse soleat: curent parochi, vt singulis Sabbatis, sanctissimæ Virgini, Deiq̄ Matri Mariæ dicatis diebus, stata illa, & solennis, que veteri Ecclesiæ instituto, perpetuoq̄ usu de ea dicitur Antiphona, Salve Regina, vel alia pro ratione temporis, in sua quisque Ecclesia, ab omnibus illius Parochiæ clericis, quibus ab Episcopo iussum erit, sub Vesperum ante crepusculum scilicet, piè, religioseq̄, canatur: conuocatis etiam certo campanæ signo fidelibus.

Plena sanctissimis mysterijs cum sit consecratio Episcopi præter multa, que de tempore, loco, & formula eius, patrum institutis præcepta sunt, illud à Felice Quarto Pontifice Max. constitutum etiam est, vt anniuersarius eius consecrationis dies celebraretur.

Quod institutum, iamdiu intermissum, vt ad usum renocetur; Statuimus, ab Episcopo anniuersarium consecrationis suæ diem solenni ritu agi.

Si verò in consecrationis diem, festus dies inciderit, cuius festi diei officium ex instituto Ecclesiæ transferri non liceat, consecrationis celebritas in alium diem transferatur, quo agi liceat.

Sacerdotes verò, quo die eorum vnusquisque sacerdotio initiatus est, illum etiam quot annis recolant Missæ sacrificio, & precibus.

Qualiter, & à quibus populus pro indulgentijs instruendus, & suadendus est. Cap. XXXI.

DE sanctis indulgentijs tractatio, prout usu venerit, accuratè in sermonibus item habeatur: vt & earum cœlestem vim, & pietatis officia ad illas consequendas necessaria, populus intelligat, seq̄, propterea, omni intima mentis, animiq̄, religione, & Christianæ charitatis actionibus, atque operibus, ad vberrimas, salutaresq̄, earum utilitates assequendas diligenter parat.

Id autem omne officium per parochos, & alios quorum interest, præstari Episcopus iubeat, ijs præsertim instructionibus, quæ eo de genere, in Concilij Provincialis auctoritate confectæ sunt ad communem Proinciæ huius usum.

Indulgentias tabellis descriptas, & in futurum concedendas, qualiter Episcopus inquirat, & libro notatas afferuet, & hoc idem singulæ Ecclesiæ præstent. Cap. XXXII.

Quæcunque indulgentiarum, quæ olim, vel nuper cuius etiam regularium, aut aliter exemptorum Ecclesiæ perpetuò concessæ sunt, tabulæ, scriptæ, monumenta, & alia omnia eiusdem generis extant, ea ubi illa sint, siue in vrbe, siue in diœcesi, Episcopus studiosè conquirenda curet; tum illa conquisita, indeq; summatim exscripta, in librum certum, eo nomine confectum, qui in Archiuo Episcopi afferuetur, diligenter, rectèq; referri iubeat.

Quæ præterea Indulgentiæ vrbis, diœcesisq; suæ Ecclesijs in posterum perpetuò, vel ad certum tempus concedentur, ubi primùm ad se, aut ad Vicarium Episcopalem, qui illas recognoscat, delatæ sunt, eodem, aliove libro notentur, ordineq; deinceps describantur.

Singulæ autem Ecclesiæ, quibus uel concessæ sunt, uel concedentur, proprium eiusdem generis Codicem, in quo illæ exscribantur, accuratè confectum, aut tabellam eiusdem generis in Sacristia habeant; illarum exemplari in Archiuo, uel in Sacristia afferuato.

Quando tenens infantem secum iacentem, in excommunicationem ipso facto incurrat. Cap. XXXIII.

Graue, atque immane facinus est, infantes per impudentiam illorum suffocari, qui eos, ne annum quidem natos, in cubili, nulla cautione collocant. Qui quoniam neque alia ratione, neque rei gravitate, qua Deus in primis offenditur, nec verò immunitate nefaria in officio contineri hætenus potuerunt, nos tale facinus pœnis coerceri censuimus.

Itaque quæcunque mulier, infantem, anno ætatis non expleto, secum in lecto iacentem, non ea cautione tenuerit, quam ab Episcopo præscriptam parochus vnusquisq; ei sigillatim demonstrarit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat; cuius vinculo irretita, non absoluat, nisi graui, atque insigni imposita pœnitentia, quæ cæteris exemplo sit.

Prædicta qualiter promulganda. Cap. XXXIII.

Parochus verò tum sæpè populum moneat, nè huiusmodi infantes secum in lecto vnquam teneant, tum etiam euulget decretum istud, pœnamq; in decreto sancitam.

Alienis nisi tantùm peregrinis, & aduënis quando Eucharistia ministratur. Cap. XXXV.

Vt & quod sacrorum Canonum iure statutum est seruetur, & parochi certam rationem inire eorum possint, qui curæ suæ commissi, Sacram-

Vid. infr.
de sent.
excom. c.
15. &
seq. ubi
declara-
tur, &
amplia-
tur.

com-

communione in Pascha Resurrectionis Domini sumpserint, nè eo tempore, etiam in Ecclesia Cathedrali, ijs qui intra alterius parochiæ fines in urbe, aut in diœcesi habitant, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministretur, nisi aliqui sint, quibus iusta de causa Episcopus, aut proprius eius Parochus, facultatem scripto exaratam, nominatim dederit. Peregrinis autem aduenisve hominibus, præberi ministrariue liceat, vt iam est statutum.

Indulgentiæ sodalitatum corporis Domini qualiter promulgandæ. Cap. XXXVI.

A Gregorio XIII. Omnibus, & singulis, quæ in hac Prouincia instituta, instituentæ sunt, corporis Domini sodalitatibus data, cuius cõcessæ Indulgentiæ exemplum typis impressum, in vltima huius libri parte exhibit, ubiq; in illis, sæpeq; promulgetur, ad excitandos in salutari instituto, eiusve munere sollicitè obeundo, fidelium animos.

Quot, & qualia, vbive confessionalia haberi debeant.

Cap. XXXVII.

Ecclesia Parochialis, eiq; item annexa, in qua confessiones audiri aliquando solent, confessionale unum habeat, forma in instructionum libro demonstrata, constructum; duo verd eadem forma, & modo; vbi quingentarum animarum, & amplius cura geritur. Ecclesia autem, quæ plures habet confessarios, totidem confessionalia; quot confessarios habeat, siue Parochialis illa sit, siue collegiata, siue Cathedralis.

Quæ confessionalibus affligenda erunt. Cap. XXXVIII.

In confessionali hæc affixa sint, sacra scilicet imago, literæ processus die Cænæ Domini quot annis editæ, tabella casuum, quos sibi Episcopus reseruarit, forma absolutionis, & orationes præterea preparatoriæ ad sacram confessionem audiendam impressæ.

Ecucula pro quibusuis eleemosynis immittendis, à confessionalibus longè fiant. Cap. XXXIX.

Ne capsulæ, loculive, colligendæ eleemosynæ causa siue confessarij vsui, siue Ecclesiæ utilitati, ea sit, ac ne ob pium quidem vllum aliud opus, loco confessionalibus proximo, ne dum ipsis confessionalibus affigantur, apponanturve.

Non approbati, & Sacramentum pœnitentiæ ministrantes, ipso facto excommunicati declarantur. Cap. XL.

Excommunicationis pœnam supra, sacerdotibus, sine approbationis facultate ab Episcopo data, pœnitentiæ Sacramentum ministrantibus propositam, ipso facto, qui contrafecerint, subire decernimus, & declaramus.

Supr. eo.
c. 13.

Sine quibus literis testimonialibus, regulares etiam aliàs idonei ad confessiones audiendas non admittantur.

Cap. XL I.

Confessionis sacræ audiendæ munus sacerdotibus regularibus, quamvis ad illud ob peritiam, scientiamq̄ idoneis, ne committatur; nisi à monasterij profecto testatum literis fiat, eos vitæ disciplina moribusq̄ probatos esse: ac dignos propterea, quibus id muneris imponatur. Quo in testimonij genere ipse videat, nè quid testificando admittat, quod religioſa conscientia sua fraudi sit, labemve afferat.

Quando regulares confessarios eorum descriptos Episcopobis deferant. Cap. XLII.

Vnusquisque monasterij regularis profectus, bis quot annis, semel scilicet ineunte aduentu, iterum Quadragesimæ initio, confessariorum sacerdotum sui monasterij probatorum nomina, in folio exscripta, ad Episcopum deferat; ut cum regulares ex vno in aliud monasterium migrare frequenter soleant: eamq̄ ob causam illorum numerus interdum minuatur, aliunde ipse Episcopus, alios in eo munere gerendo idoneos, ac probatos opportunò habere possit.

Probatorum confessorum tabella qualiter proponenda.

Cap. XLIII.

Supr. eo.
c. 14.

Sacerdotum Confessariorum, qui probati sint nomina, in tabella ordine descripta, ad ualuas sacrifiæ Ecclesiæ, ubi complures illi habitant, affixa in omnium conspectu sint.

Confessarij, etiam regulares, de quibus, & qualiter ab Episcopo monendi. Cap. XLIII.

Episcopus, & in Vrbe, & quo tempore etiam visitationem obit, in frequentioribus diœcesanis locis confessarios Sacerdotes, etiam regulares aliquando ad se, tum singulos, tum vniuersos conuocet. Ijsq̄ primò, cum ceteras muneris, quod susceperunt partes, grauitè accurateq̄ ostendat; tum precipuè moneat quantum, quamq̄ graue, vel ad salutem, uel ad perniciem animarum, onus suslineant; proinde demostret item, & quam bene notos casus ipsi habere debeant, in quibus absoluedi auctoritatem nullam habent, & quam studiosè propterea caueant, nè in messe aliena salcem ponant, & quam cautè item in pœnitentium absolutione agant, cum praesertim uel de restitutione, uel de occasionibus, quibus ad mortalia peccata aditus fit, abijciendis agitur.

Profe-

Prosequutio prædictorum. Cap. XLV.

NE verò facile in eodem peccati genere fideles offendant; hoc etiam illos ipsos confessarios admoneat, quàm prudētes, quàm cautos quàm diligentes in pœnitentijs salutaribus imponendis eos esse oporteat; tum prospicere etiam, vt non solum vitia, peccataq; fideles fugiant; sed virtutes, christianæq; vitæ officia, opera, & actiones, cum christiani nominis splendore congruentes, suscipiant, ac præstent, maioresq; in via Domini progressus in singulos dies habeant, proposita unicuique, pro eius ingenio, & conditione, ac statu, benè, sanctèq; agendi ratione.

Prosequutio prædictorum. Cap. XLVI.

DEmonstret denique, quàm sedulò caueant, ut nè eorum dicta sanctorum cohortationum, paternarumq; obiurgationum plena, à factis vllò modo dissentiant; ac nè item, audiendis sacris confessionibus, vllam ne minimam quidem, auaritiæ in primis, suspicionem præbeant.

Tempus confitendi ægroto, confessarius quando non proroget.

Cap. XLVII.

Confessarius sacerdos, confitendi tempus egrotanti non proroget: nisi primum re cum Episcopo, cui ille id curæ dederit, communicata, prorogationis facta scripto exaratam, ab illo impetrarit.

Quando incertorum restitutionem solus Episcopus assignet.

Cap. XLVIII.

Casus restitutionis rerum, quæ incertum est, quibus restitui debeant, Episcopo deinceps reseruari sint.

Pœnitentiæ, & virtutum qui progressus, maximè prouectioribus peroptatur. Cap. XLIX.

ASACERDOTIBVS, ab ijsq; etiam, qui prouectiori ætate sunt, hoc si nunquam per ipsos antea præstitum est, omnino præstari peroptamus, vt cum omnis ante actæ vitæ suæ peccata diligenter, riteq; confiteantur; tum spiritualium exercitationum, prout ijs, qui Subdiaconatum, vel Diaconatum, vel Sacerdotium suscepturi sunt præscriptum est studium aliquando suscipiant; quò diligentius in via salutis sibi prospiciant.

Quando, & non aliter sæcularibus, & regularibus in suis Ecclesijs eorum priuilegia, & indulgentias publicare licet. Huiusmodiq; occasione eleemosynæ, & charitatiua subsidia, à quibus, & quomodo colligenda. Cap. L.

NE cuius rectori Ecclesiæ, etiam exemptæ, quouis modo, neque vlli ordini regularium, neque cuiquam scholæ, confratrię, etiam Rosarij, & Cruce signatorum, lociue pij collegio, pretextu, causave, uel priuilegiorum, etiam antiquorum, uel indulgentiarum, quas sibi quouis modo concessas, etiam instar Ecclesiarum, locorumq; piorum, confratriarumve vr-bis Romę habet, liceat illas ipsas in suis Ecclesijs promulgare; sed ut decreto Tridentino cauetur, per Episcopum adhibitis duobus de capitulo, illę quo-tannis statotempore publicentur, atq; euulgentur.

Concil.
Triden.
Sess. 21.
c. vlt. §.
Indul-
gentias
vero, de
reform.

Eleemosynæ item, atque charitatis subsidia, quacunque eo nomine, occa-sioneue à fidelibus offeruntur per eos ipsos colligantur, & Ecclesiæ locore, cuius causa indulgentia concessa est, omnino attribuantur, idq; gratis, ac nul-la prorsus mercede.

Laici regularium famuli tempore paschali, vbi Eucharistiam fumant. Cap. LI.

LAICI famuli, quicunque regularium monasterijs operam nauant; sta-metsi in illis habitent, stato Paschę tempore in sua quique Ecclesiã Parochiali Sacram communionem sumant.

Parochus aduentante Quadragesimâ in ædibus subditorum curę suę, videat qui ad Sacrosancta pœnitentię, & Eucharistię Sacra-menta apti sint, & eos qualiter moneat. Cap. LII.

VT ad Sanctum pœnitentię Sacramentum, fideles solite, diligenterq; accedant; id parochus prestet, vt in hebdomada, quę Quadragesimâ proximè præcedit, ad patrum familias ædes, quę intra parochiæ suę fines sunt, sigillatim eat; ac videat accuratè, qui obligatione huius Sacramenti suscipiendi, & Sacræ Eucharistię Paschæ tempore sumendæ deuincti sint, eorumq; nomina rectè describat: ac singulos præterea, eosq; præsertim, qui per-rarò confitentur, moneat, vt nè confessionem diferant in postremos illos Qua-dragesimæ dies, quibus Sacerdotes, uel ob mysteriorum celebritatem, assidua diuinorum occupatione, ab audiendis confessionibus impediuntur, uel fre-quenti tunc concursu fidelium defatigati, ita in eo ipso munere præstando ferè opprimuntur, vt tantum, tamq; salutare ministerium in consertissima multitudine vix rectè illis præstare queant. Proinde quadragesimæ hebdo-madas pro populi sibi commissi, ratione sic partiri curet, vt alias huic, alias illi viciniæ, familiæue, aut partim uiris, adolescentibus, & pueris, partim mulieribus uirginibus, puellisue præstituatur, quibus ad confitendum distinctè, atque in tempore accedant.

Appro-

Approbatio ad confessiones audiendas tantum proprio Episcopo spectat. Cap. LIII.

IN ijs, quæ ad Sacerdotes, pro sacræ confessionis ministerio, vel examinandos, vel probandos pertinent, ne prelatus, etiam regularis, & exemptus, se in aliena diœcesi villo modo ingerat: sed eam omnem illos examinandi, probandiq; curam Episcopo diœcesano planè relinquat.

Casuum reservationes qualiter promulgandæ, & contravenientes puniantur. Cap. LIIII.

Cum pro temporum varietate, casuum reservationem ab Episcopo aliquando mutari expediat, quod planius illos casus, ei reservados, confessarij Sacerdotes perpetuò norint; eos Episcopus singulis annis, vel in synodo diœcesana, vel ineunte Ianuario promulget, ita vt quæ illorum casuum promulgatio proximè facta est, vim habeat, quoad altera fiet. Ab ijs verò casibus, proximè promulgatis si quis confessarius cuiusvis ordinis sine facultate scripta ab Episcopo data, aliquem absoluerit attentarit; excommunicationis pœnam ipso facto subeat. Si verò ab vno aliquo speciali casu reservato, & altero item, aut etiam pluribus absoluerit facultas aliquando sigillatim petitur, verbo, etiam sine scripto concedi poterit, tum aliàs etiam, quando Episcopus ita faciendum censuerit.

Prætextu quarum facultatum confessarius sub qua pœna, à casibus Episcopo reservatis absolueri nequeat.

Cap. LV.

NE facultatum, privilegiorumve iure, quæ cuiusq; etiam Rosarij, & Cruce signatorum scholæ, confratriæ, collegio etiam laicorum, quæve collegijs, cōfratribusve in eo ascriptis ante, vel post Concilij Tridentini confirmationem concessa sunt, aut vigore Indulgentiarum, quæ aliquibus Ecclesijs sunt concessæ confessarius cuiusvis ordinis sit, ab ijs casibus, quos sibi Episcopus in sua diœcesi reservauerit, penitentes sine illius facultate ne absoluat. Si contrafecerit suspensionem à diuinis ipso facto incurrat.

Confessarij quibus induti confessiones recipiant.

Cap. LVI.

Episcopus quò decentius, atque adeo religiosius Sacramenti huius administratione fiat, presbyteros confessarios, etiam qui alicuius congregationis clericorum regularium, alteriusve societatis regularis sint, ad audiendæ confessionis officium, ne admittat, neve illam audire, etiam in suis Ecclesijs, sine superpelliceo, & Stola patiatur. Efficiat verò, vt reliqui regulares, tam monachi, quàm mendicantes, in hoc ministerio habitum, uestitumq; adhibeant, quem ex regulæ præscripto in choro ad diuina officia celebranda adhibent.

Vbi

Vid. sup.
c. 16. ver.
Nec sine
causa.

OMnes verò videant, nè extra Ecclesiam, oratoriumve confessionem audiant, præterquam egrotantium, etiam uirorum, nisi ob urgentem causam.

Confessarius dum confessiones audit, & absolutionem impendit qualiter se habeat. Cap. LVIII.

Confessarius quicumq; vel secularis, vel regularis sit, non stando, sed in sede, tanquam pro tribunali iudex, sedendo, sacram confessionem audiat pœnitentium, quales, quales sint, etiam in summo aliquo dignitatis gradu constituti. Itidem faciat cum absolutionis sententiam pronunciat.

Quod in Ecclesia antiqui instituti, veterisq; consuetudinis est, rectè omnino seruet, ut dum absolutionis formulam, præcesq; adiunctas profert, supra caput pœnitentis manum dexteram eleuet: id quod etiam cum mysterij significatione fit.

Confitentes quales se exhibeant. Cap. LIX.

Vid. Ca-
tech. de
Sacram. pœ-
nit. ca. 5.
num. 18.
verf. di-
ligenter
verò. p. 2

IN pœnitentiæ Sacramento magna humilitas summè necessaria est. Itaq; pœnitentes cum ad confessarium, qui Christi Domini locum in eo ministerio tenet, accedunt, intimo animi dolore, omniq; humilitate se se ad illius pedes projiciant, ac prosternant, id quod ab Apostolicis vsq; temporibus in more, vsq; positum est, ut se reos agnoscant, atque profiteantur mortis aternæ. Dñi confitetur, sint manibus iunctis, digitis paululū erectis, oculis demissis.

In publica, & solenni pœnitentiâ ritè ministranda quibus instructionibus vtendum. Cap. LX.

Sup. co.
c. 28.

Quod supra de pœnitentiâ & publica & solenni, sacrorum Canonum iure, & Oecumenicæ synodi Tridentinæ auctoritate sancitum est; id ad usum inducatur, vel reuocetur, atque adeo ritè, rectèq; præstetur, prout instructionibus, quæ ad communem totius provinciæ usum iussu Illustrissimi Domini mei editæ sunt, ex Canonum fontibus, Sanctorum hominum disciplina, Ecclesiasticisq; institutis præscriptum erit.

Cap. LXI.

Examen confessariorum fiat ad præscriptum Concilij provincialis Quiriti, ubi latè hoc traditur.

Vt ad orandum alliciantur, quæ indulgentiæ per Parochum populo annunciandæ. Cap. LXII.

Quo vberiores ex orationis instituto fructus existunt, eo sapius ad illius exercitationem fideles cohortandi sunt. Officium igitur Parochi sit, quod magis illos proposito spiritali dono alliciat, crebrò cum occasio tulerit, indulgentiam euulgare ijs concessam, qui orationi quadraginta horarum ordinaria, aut extraordinaria Episcopi iussu exposita vacauerint. Hoc officium

vt is præstet Indulgentia literas in fine huius libri edi volumus.

Idem præstet de Indulgentia ijs data, qui in oratione, qua dicitur sine intermissione, versabuntur. Idq; ex literis Pontificijs infra editis. Idipsum prætere a sæpenumero agat de Indulgentia fidelibus data, qui vbi, vbi fuerint in eleuatione Corporis Domini orauerint: Cuius etiam indulgentiæ literarum monumenta infra impressa sunt.

Paschali tempore cui ægroto Eucharistiam parochus deferat.

Cap. LXIII.

Pascha tempore, à suo cuiq; parochio proprio Sanctam Eucharistiam ministrari Ecclesiæ institutum, ac præceptum est. Quamobrem is si quem parochianum habet, qui ex morbo laborans, aliave necessitate verè impeditus non potest sacro Pascha tempore ad Ecclesiam conuenire, ubi Sanctissimam Communionem cum cæteris fidelibus percipiat, ad illum etiam, si paucis ante diebus per ceperit, ipse illo paschali tempore de more deferat.

Quando confessarios approbatos etiam regulares ab audiendis confessionibus Episcopus suspendat. Cap. LXIII.

Episcopus à Confessionibus audiendis suspendat, aut omnino amoueat confessarios, etiam regulares iam approbatos, quos pro sue timorata conscientie religione uiderit in eo munere non ita sincerè, integrèq; & cum edificatio ne se gerere, quemadmodum, & tanti ministerij illis commissi sanctitas postulat, & animarum salus deponit, quæ suæ fidei creditæ sunt.

Præter ægros quibus casibus fideles confiteri debeant.

Cap. LXV.

Salutariter ex doctrina Spiritus Sancti cautum est, Christi fideles de peccatis confiteri debere, quotiescunq; rem, actionemve aliquam aggrediuntur, in qua præsens mortis periculum pertimescendum sit. Quamobrem Parochus curet, atq; efficiat, vt præter id quod Pij V. constitutione, decretoq; nostro de ægro ante sancitum est, si quis etiam parochianus ed profecturus est, vbi sit, aut pestis, aut heresis, aut ubi nullam confessarij copiam habere possit; aut ad bellum iturus sit, aut pugnam initurus, aut iter infestum, navigationemq; periculosam facturus, antequam vig navigationiue se committat, peccata confiteatur.

Idem officium præstet de mulieribus proximè parituris.

Id præterea cohortetur, vt quis navigationem, iter longum, negociumve periculosum suscepturus, religiosè etiam sumat sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum: & mulier item proximè paritura frequentius.

Moneat quoq; sæpenumero, cohorteturq;, ut quoties quis rem arduam, & difficilem, etiam in qua nullum mortis periculum extimescendum sit, aggredietur; primò confessus itidem faciat, ut tanto Sacramento corroboratus spe erectiori fiat rei bene gerendæ.

Cum

Cum autem vel ab itineris, vel à navigationis, vel à belli alteriusve rei periculo, aut à negotij; Ut cumq; successit, cura difficili, bene iuuante Deo, liber erit; hoc eum hortetur item, ut quamprimum piè confessus, Deo gratias agat, huius Sacramenti sumptione, in qua præcipua quædam ratio inest, qua Deo pro immensis in nos collatis beneficijs aliquam gratiam referamus.

Quando in primis & qualiter quosque delinquentes, Episcopus inquireat, à via mala reuocet, ac ut conuertantur non desistendo puniat. Cap. L X V I.

Episcope cura præter cæteras, illa etiam præcipua esse debet, ut quantum in se est, fideles peccatorum laqueis implicitos à turpissima peccandi occasione sollicitudinis Episcopalis studio, atq; officio reuocet, animarumq; vulneribus remedia opportuna adhibeat. Ineunte igitur in primis Quadragesima, quàm diligentissimè inuestigabit, si qui vel in Vrbe, vel in diœcesi sunt, qui opera carnis sectantes turpiter uiuant; si qui item odia, & inimicitias exercent, si qui alij deniq; qui in aliqua peccandi consuetudine, vsuq; iaceant, si quos porrò huiusmodi ille compererit, omni ratione, atq; officio illos ad id inducat, ut à via, qua ducit ad interitum sine mora se abducentes, iter salutis omnino vereq; suscipiant.

Quamobrem eos ipsos, ut pro facti ratione magis expedire iudicabit, uel priuatim ad se accersat, atque adeo instet, quemadmodum ait Apostolus Opportunè, importunè, arguat, obsecret, increpet, cum omni patientia, uel seueriori quoq; disciplina in eos agat omni iure, omniq; officio ad sacrorum Canonum, sanctionumq; Pontificiarum præscriptum. Nec verò antequam ipse perspexerit, istos ab ea male agendi via recessisse, peccandiq; occasionem, ac publicas offensiones præcidisse, permittat, etiamsi qui testimonium confessarij afferant, ne in Paschali quidem celebritate sacram. Communionem eis ministrarit: quinimo tandiu differri iubeat, quoad eorum veram uitæ emendationem Episcopus cognouerit; immò verò contra eos, qui quoniam salutaria monita spernentes, in offendiculis perseverant, neque flagitiosam uitam deserunt, à Sanctissimæ Eucharistiæ sumptione reijciuntur agat Episcopus, agere iubeat, ut in Concilio prouinciali secundo agi contra illos sancitum est, qui Paschæ tempore Eucharistiæ Sacramentum non sumpserint; si verò in contumacia perseverauerint in eos prætere seuerius pro ut iuris est, animaduertat.

Indulgentiæ pro ægrotis quæ & quando promulgandæ.

Cap. L X V I I.

Sanctissimus Pontifex Gregorius XIII. ut salutarem aliquam ægrotis medicinam afferret, certis Apostolicis sacris literis Episcopis huius Præuincitiæ auctoritatem dedit, Indulgentiæ ægris concedendæ, quos uel ipsi, uel eorum nomine alij uisitauerint. Quæ literæ, ut omnibus notæ sint proindeq; ægroti salutarem medicamentum contriti, & Confessi capiant ex uisitatione Episcopali, illæ à parochio prout usu uenerit studiose accurateq; euulentur.

Indulgentiæ pro congregationibus quando euulgandæ.

Cap. LXVIII.

Indulgentiæ Gregorij XIII. cuius etiam literæ in vltima parte huius libri editæ sunt, congregationis nomine concessæ, singulis mensibus à Sacerdotibus Forancis, ex decreto Prouinciali in singulos menses euulgentur, quo die Missa illius congregationis celebratur.

DE SENTENTIA EXCOMMVNICATIONIS. Tit. VII.

Excommunicati qualiter denunciandi, & contra pertinaces procedendum. Cap. I.

Quo diligentius studeant, qui excommunicationis pœna affecti sunt, in Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium restitui, ac ne alij eorundem commercio consuetudineve, per imprudentiam utantur, nos Veterum canonum auctoritatem sequuti, iubemus, vt Episcopus, cum excommunicationis sententiam, contra aliquẽ tulerit, eumq; excommunicatum palàm denunciari iusserit, eius nomen, & cognomen, tum ad Cathedralis, & propriæ parochialis Ecclesiæ Valuas affigendum descriptum mitti curet parochis, & urbanis, & diæcesanis, qui primò saltem cuiusque mensis Dominico die illum populo excommunicatum denuncient; neque hoc agere desistant, quod ipsis Episcopus significarit, eundem matri Ecclesiæ reconciliatum esse. Quod si tres menses is excommunicationis vinculo irretitus permanserit; illius nomen, & cognomen Episcopus tum reliquis huius Prouinciæ Episcopis, tum illis præterea denunciaret, ac significet, quorum diæcesis sibi finitimæ sunt. Cum autem ille ipse ad Matris Ecclesiæ gremium redierit, quibus antea illum excommunicatum Episcopus denunciauerat, ijs eundem absolutum quamprimum significet. Quod si quis per annum in excommunicatione permanserit; ad Episcopum Parochus cum deferat, vt contra illum agatur, quemadmodum, & canonum iure, & summorum Pontificum sanctionibus decretum est.

Excommunicationis quanta sit pœna, qualiter populis significanda. Cap. II.

Quo diligentius fideles caueant, nè excommunicationis vllius vinculis irretiantur: hoc parochi sæpe præstent, vt eos sæpe doceant, quàm grauis excommunicationis pœna sit, & quàm valde omni studio cauenda idq; ad præscriptum faciant instructionis huius Prouinciæ.

Quæcunque excommunicationes latæ sententiæ, quando & qualiter populis denunciandæ. Cap. III.

Quæcunque excommunicationum sententiæ, uel à summis Pontificibus, vel Tridentini, aliorumq; generalium, & prouincialium Mediolanen-

sium

Cõtra eũ
tanquam
de heresi
suspectũ
procedi
potest,
Cõc. Tri.
ses. 25. c.
de refor.
3. in fi.

sum Conciliorum decretis, vel nostris constitutionibus latae sunt, quibus ipso facto, vel iure homines irretiuntur; haec omnes summam vulgari sermone expressae, & in tabellam aliquam ordine relatae, die primo Dominico Quadragesimae in Cathedrali Ecclesia, de suggestu, frequente populo de scripto legantur, quo fideles meminerint, diligenter ab illis cauendum esse. Idque etiam fiat in Parochialibus illis Ecclesiis singulis, ubi id fieri Episcopus expedire censuerit.

Iure excommunicationis monitoriales qualiter, & quando concedantur, ac promulgentur, vel ne. Cap. IIII.

Excommunicationum, quae certis monitionibus primùm adhibitis, ad finem reuelationis, ut aiunt pro deperditis, subtractisve rebus ferri solent, literae ne cuiquam, nisi ijs concedantur, qui ob eam causam supplicationis libellum Episcopo obtulerint, eorumque ipsorum tantum rogatu, quorum civiliter interest. Qui supplicationis libellus eiusmodi sit, quo & res ipsa, de qua agitur, & eius pretium item nominatim, speciatimque exprimat, nisi Ecclesiae loci pii, communinatis, Uniuersitatis, Collegij, vniuersalisve successoris res sit, cuius certam notitiam illum, illamve non habere verisimile est, tunc enim supplicantis, qualitate in libello expressa rei, de qua queritur, descriptio quaedam generatim fieri poterit, modò ne sit incerta nimis aut non verisimilis sed eiusmodi, quae saltem ostendat rem ipsam, ut est Tridentini Concilij praescriptum, non vulgarem esse.

Infr. c. 6.

Prosequutio praedictorum. Cap. V.

PORRO eiusmodi excommunicationum literae non concedantur.

Pro re criminosa, quae infamiae notam inuret.

Pro re non occulta omnino.

Pro re quae ita iam diu amissa, aut subtracta est, ut illius memoriam amplius non haberi verisimile sit.

Neque rursus cuiquam excommunicato, aut manifestè, ac notoriè criminoso.

Neque verò contra aliquem, quem pro rebus, quae in monitorijs literis exprimantur, satisfacere non posse constat.

Neque praeterea in loco, ubi eas verisimile sit negligi, contempnive.

Cum verò pro ratione praescripta, aliquando conceduntur, ne tamen in Sanctissimis his diebus, in Natiuitate scilicet Domini, Pascha Resurrectionis, Ascensionis, Penthecoste, in celebritate sacri Corporis Domini, alijsque anniuersarijs solennioribus diebus, vllò modo promulgentur, nisi Episcopus aliter censuerit.

Prosequutio praedictorum. Cap. VI.

Conc. Tri.
Sess. 25. c.
3. de re-
form.

Si item nihil, quod supra sancitum est, neque aliud quicquam obstat, quominus concedi possint, ne semper tamè dentur, concedanturve, sed tantum cum Episcopus, seruata forma Concilij Tridentini expedire censuerit.

Quando

Quando Episcopus pro dictis literis sententiam excommunicationis ferat. Cap. VII.

IS verò literis monitorijs aliquando datis, ne excommunicationis sententiam Episcopus ferat, nisi de earum promulgatione locis, & temporibus congruis facta, relationem acceperit, & iterum de re ipsa diligentius, accuratiusq; deliberarit, ac grauem præterea causam censuerit, quamobrem illam ferat.

Contra fœminas regularium domos intrantes qualiter procedatur. Cap. VIII.

SI quæ fœmina, cuiusuis etiam conditionis, dignitatis, gradus, ac generis splendore illustris, virorum regularium cuiuscumque vel ordinis, vel instituti claustra vbicunque in illis, etiam prioribus monasterij conuentus domusve claustralis porticibus, primariæ eiusdem ianue exteriori proximis, contra quàm Pij V. & Gregorij XIII. constitutionibus sancitum est, ingrediat, pro earum sanctionum iure Episcopus pœnarum, censurarumq; declaratione, & irrogatione contra illam seuerè agat.

Constit.
Pij V.
sub die
23. Octo.
1566 in-
ter eius
cõsti. nu.
12. i. Bul.
fol. 952.
Gregor.
XIII.
Idi. Iun.
1575. in
Bull. nu.
36. f. 139.

Quando prima claustra regularium fœminis intrare permittitur. Quæ verò cohærentia sub prohibitione comprehensa sintve definiri debeant. Cap. IX.

AD Priores autem illas claustris porticibus, exterioriq; ostio viciniore, vt à sancta sede Apostolica declaratum est, ingressus mulieribus non vetatur, quo tempore in ijs, cum cœmeteria, sepulcrave sint, pro mortuis fiunt, à regularium vniuerso monasterij domusve illius conuentu supplicationes, processionesve publicæ de more aguntur. In claustrorum autem finibus censeantur horti etiam, ac viridaria, vineæ, & eiusmodi loca, quæ monasterijs, domibusve regularium ita continenter sunt adiuncta, vt ab illis domibus, vel monasterijs ad eos hortos, locave aditus sit nulla via, locove publico interiecto. Sin autem de claustrorum finibus, circumscriptioneve dubitatio, aut difficultas aliquando existat, per loci ordinarium, adhibitis regularium superioribus, illa explicetur; certaq; demum ipsis limitibus claustralibus definitio, circumscriptioneve statuatur, vt ne ob varias eorum superiorum regularium interpretationes occasio præbeat, quamobrem censurarum vinculis fidelium animæ irretiantur.

Censurarum vim qualiter parochus explicet, & contra interdictos agat. Cap. X.

NON solum excommunicationis vt decretum est, sed etiam interdicti, aliarumq; censurarum vim, & potestatem parochus ijs sermonibus, concionibusve aliquando explicet, quos ad populum habet, & verò publicè excommunicatos, interdictosve, qui à sacerdote celebrante vt ab Ecclesia exeant, nominatim moniti permanere auferint, excommunicationis vinculo irretitos esse, neque ab alio, nisi à sede Apostolica solum, absolui posse ostendat, vt Clementis V. sanctione cautum est.

Clemen.
Grauis
co. tit. de
sent. ex-
co. i. cle.

Interdicta

Interdicta Episcopalia etiam à regularibus seruanda. Cap. XI.

Cōc. Tri.
sef. 25. c.
12. de re-
gul.

Interdicta ab Episcopo promulgata, non solum, quæ vniuersos, sed quæ singulos etiam attingunt, ab ordine omniregularium in suis Ecclesijs, et promulgentur, & seruentur item, vt Tridentinum decretum iubet.

Nomina excommunicatorum, & interdictorum. vbi deferenda.

Cap. XII.

Parochus cum aliquos vel excommunicatos, vel interdictos pronuntia- rit, eorum nomina, cognomina, & diem, quo excommunicati, interdicti- ue sunt, quamprimum ad fori Episcopalis Cancellarium deferat.

Censuratorum bannitorumq; nomina qualiter in tabella describen- da & moderanda sint. Cap. XIII.

Hic verò in tabella, eo potissimum nomine confecta, rectè exscribat- ur, quæ à parochio acceperat.

Ei præterea tabellæ, quam in Cancellaria diligenter certo loco asseruet, addat, detrahat quicquid in dies singulos addi, detrahi, mutari ve acciderit.

Item de clericis, qui vel suspensionis censura affecti, vel exilio multati sunt, accuratè etiam seruet Cancellarius, notato tempore, quo in ea suspensio- nis censura, aut exilio permanere decretum est.

Quò diutius eò grauius pro censura satisfiat. Cap. XIII.

Quò diutius in excommunicationis, interdictive censura aliquis perman- serit; cum absoluitur eò grauiori pœnitentia afficiatur.

Dispensationem à canone propter infantis suffocationem edito, qua- liter Episcopus delegare poterit. Cap. XV.

Grauiissimo suffocationis infantium, qui non dum atatis suæ annum ex- pleuerunt periculo, vt occurreretur, pœna excommunicationis, quam mulier in eo genere delinquens, ipso facto subiret, Concilio Quarto sancita est.

Verùm cum aliquando causæ, & difficultates incidant, ob quas non omnino præstari potest, quod salutariter in Concilio Quarto cautum est: ideo hoc decre- to, eam cautionem adhibere nobis visum est, vt pro scientiæ suæ religione Epi- scopus in grauioribus causis dispensare, dispensandiq; , aut habilitandi fa- cultatem eo in genere Vicarijs Foraneis delegare possit, alijsq; item Ecclē- siasticis hominibus prudentia, & rerum usu aditis.

Supra de
pœnit. &
remiss. c.
35.

Sententia excommunicationis propter suffocationes quos includat. Cap. XVI.

Quòd si quis, (quicumq; sit,) etiam præter nutricem & matrem non ad- hibita illa cautione, neq; dispensatione impetrata, infantem, contra præ- scriptum, in lecto tenuerit, aut matrem nutricem ve id facere co- gerit, aut impedierit quominus eo decreto præscripta cautio adhiberetur, is eadē pœna irretitus sit, quæ illo decreto, mulieri in eo genere delinquenti con- stituta est.

F I N I S.